Pater sanctissime. Ad mandatum sanctitatis vestre in scriptis posuimus ad quid venimus et quid a sanctitate vestra petere debeamus. Dicimus igitur ex parte domini nostri filii vestri devoti quod licet paucis diebus elapsis ab aliquibus murmuraretur et absque colla tamen insinuatione etiam referretur apud dictum dominum nostrum processus aliquos esse factos a sanctitate vestra ipsum et iura sua ac statum suum graviter contingentes tamen dominus noster predictus nullatenus credere poterat nec credebat immo estimabat emulorum suorum esse figmenta nec etiam verisimile reputabat quod sancta Romana ecclesia taliter processisset cum numquam antea super hiis fuit monitus vel citatus. Ad cautelam tamen nos misit ad inquirendum ac investigandum utrum contra ipsum ut premittitur processus aliqui facti essent et si inveniremus eos esse factos quod supplicaremus sanctitati vestre ut salvo in omnibus iure suo daretis terminum aliquem competentem et decentem inspecta locorum distancia et maxime negocii arduitate considerata infra quem domino meo predicto processus huiusmodi veritate referre possemus ut ipse sibi ac iuribus suis ipsum contingentibus de consilio suorum principum et procerum valeat super hiis prout tenetur et debet salubriter providere et de informando sanctitatem vestram plenius circa dictum processum et ipsum contingencia et de ostendenda iusticia sua ac etiam innocencia sua circa dictum processum et ipsum contingencia prout sibi videbitur expedire. Ac etiam de reformando in statu debitum si forsan in aliquibus excessisset. Igitur pater sanctissime cum invenerimus processus huiusmodi esse factos supplicamus S. V. ex parte domini nostri prefati humiliter et devote ut salvo in omnibus iure suo terminum competentem prout premittitur dare et concedere dignemini. Cum dictus dominus noster intendat quantum in ipso est tamquam devotus filius sanctitatis vestre paternitatem et sanctam ecclesiam ut meretur revereri et ipsam filiali obediencia posse adiuvare defendere et tueri.

Terminum petimus sex mensibus longiorem.

Rayn. A. 1324 §. 1. pag. 257.